





V 882

30

DISSERTATIO PERIODICA  
DE  
**PRIMIS PRINCIPIIS**

COGNOSCENDI VERITATEM,  
QVIBVS JURISCONSULTI VTVNTVR,

<sup>A</sup>  
JOHANNE WOLFGANGO TRIER,  
CONSIL. REG. AVL. ET FAC. JVR. ORDINARIO,

ET  
JOHANNE ALBERTO PHILIPPI

BEROLINENSI

D. XV. JVL. MDCCXLI.

PVBlicAE DISQVIsITIONI EXPONENDA.

---

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.





DISSSERTATIO PERIODICA  
DE  
PRIMIS PRINCIPIS  
COGNOSCENDI VERITATEM,  
QUIBUS IURISCONSULTI UTUNTUR,  
A  
IOHANNIS WOLFGANGI TRIER,  
CONSILII REG. AUL. ET SAC. IUR. ORDINARIO,  
ET  
IOHANNIS ALBERTO PHILIPPI  
BEROLINENSIS  
PUBLICAE DOCTRINAE PRÆFECTI

---

FRANKFURTI A. M. MDCCCLXXII.  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.





Monsieur

Le Roi de Prusse a eu l'honneur de vous adresser par son Ministre un rapport de ses affaires de Prusse, dans lequel il vous expose les progrès de son règne, et les succès de son armée, et de sa flotte, et de son commerce, et de son agriculture, et de son industrie, et de son peuple, et de son royaume, et de son empire, et de son monde, et de son univers, et de son Dieu, et de son salut, et de son bonheur, et de son gloire, et de son honneur, et de son nom, et de son Dieu, et de son salut, et de son bonheur, et de son gloire, et de son honneur, et de son nom.

**A  
MONSIEUR  
GERLACH,**

**CONSEILLER PRIVE ET PREMIER  
DIRECTEUR DES BATIMENS DE SA  
MAJESTE LE ROI DE PRUSSE.**

Monsieur

JOH. ALBRECHT  
KUNSTLER  
1780

1780





*Monsieur*

*J*e sai que tout ce qui a du rapport à une épitre dédicatoire, n'est pas toujours bien reçu, aussi ne prendrois je pas la liberté de Vous offrir cette dissertation, si je ne connois-  
sois parfaitement, combien Vous êtes indulgent pour ceux qui font profession d'être Vos serviteurs. Personne, Monsieur, ne peut mieux prendre cette qualité que moi, c'est une chose qui Vous est trop connue pour y insister. Vous m'avez de mon enfance comblé de Vos bienfaits, soit par Vos sages conseils, soit par Votre protection. Recevés donc, Monsieur, ce petit ouvrage comme une foible marque de ma reconnoissance, elle Vous est due, & j'ose esperer que Vous ne la rejetterés pas. Il s'agiroit presentement, Monsieur, de Vous donner des louanges, mais Vous n'en avez pas besoin, tous ceux qui ont l'honneur de Vous connoître, savent très-bien que Vous en merités plus que je ne saurois Vous en donner, quand je serois aussi eloquent que je le suis peu. Vos voyages, Vos travaux & Vos découvertes dans l'architecture parleront mieux que moi. Je m'y rapporte donc, & en Vous priant de me continuer Vos bontés, j'ai l'honneur d'être avec tout le respect imaginable

*Monsieur*

*Francfort sur l'Oder  
le 15. Juillet 1714.*

*VOTRE  
très-humble & obéissant serviteur  
JOH. ALBERT PHILIPPI.*





I.

**D**uo sunt, quæ, ut in aliis negotiis humanis, ita præcipue in causis forensibus judicandis prima semper ac summa haberi debent, ideoque a BALDO *ad C. ii. X. de probat.* lapides angulares judiciorum dicuntur, veritas & justitia. Quanta autem caligine & hæc & illa circumfusa in multis causis lateat, id cum ii, qui juri dicendo operam dant, re ipsa sæpenumero experiuntur, tum unusquisque vel ex eo solo judicare potest, quod in tanta philosophiæ luce, in qua nos hodie versari opinamur, ii, qui præcepta veri justique aliis tradunt, ne quidem in primis utriusque cognoscendi principiis ponendis consentiant. Existimavi igitur, non inutilem futuram operam meam, si ostendero, quæ sint illa prima principia, & quæ perperam in eorum numerum referantur: quo facto, patebit, uti spero, principia vulgaria a Jurisconsultis recepta & simpliciora & veriora esse iis, quibus Philosophi plerique hodie utuntur. Ne autem dissertatio hæc in magnam molem excrescat, principiis justitiæ alii tempori reservatis, nunc de solis principiis cognoscendi veritatem agetur.

II.

Veritatem esse convenientiam ejus, quod cogitatur vel dicitur, cum re ipsa, & cognitionem esse perceptionem rei antea ignotæ, in eo omnes Philosophi, quantum ego scio, consentiunt.

A

Princi-



Principium cognoscendi est propositio universalis propositionem cognoscendam continens: quarum illa in syllogismo major, hac conclusio dicitur. Subjectum propositionis majoris sive medius terminus, qui subjectum conclusionis sive terminum minorem continet, itidem principium cognoscendi, sed incomplexum, integra vero major propositio principium complexum appellari solet. Principium primum complexum, de quo hoc loco agimus, est propositio universalissima, qua reliquae propositiones certi generis vel totius alicujus disciplinae continentur. Propositionem illam, ut primi principii locum teneatur, evidentem esse oportet. Nihil enim potest esse minus consentaneum, quam id esse incertum aut obscurum, quod, ne cetera sint incerta atque obscura, inventum est. Oportet etiam propositionem illam rebus cognoscendis aequali, iisque nec angustiore nec latiore esse. Nam si principium disciplinae, quod quaerimus, non omnia contineat, quae ad eam pertinent, tum unum vel plura alia cum eo conjungenda erunt: quae cum ex eo non sequantur, ideoque posteriora non sint, nec illud erit primum. Sin latius pateat, & pluribus disciplinis commune sit, harum fines turbabuntur, neque, quid sit illius disciplinae primum, quid non sit, discerni poterit.

III.

Manifestum vero est, eadem propositione, ex qua rem antea ignoram cognoscimus, eandem rem jam aliunde cognitam probari, ideoque primum cognitionis principium simul ultimum esse probationis terminum. Nam & cognitio & probatio omnis progressionem quandam habet, & quasi genealogia quaedam est, ubi eadem persona, quae primum lineae gradum tenet in descensu, ultimum tenet in ascensu. Semper enim inter duo extrema ab utrolibet cogitatio nostra incipere atque in altero desinere potest. Itaque quemadmodum probatio ab Aristotele aliisque Philosophis, quos Jcti sequuntur, in artificialem & inartificialem distinguitur, eodem modo principium cognoscendi aliud artis est, cum veritatem ratiocinando investigamus, aliud arte caret, cum veritas sine ratiocinatione sensibus offertur. Sensus autem intelligimus non modo eos, quibus imagines rerum extra animam positarum per corpus in eam perferuntur, sed etiam internos, quibus anima, se cogitare



cogitare & velle, aliaque, quæ corpore non sentiuntur, sentire so-  
let. Ratiocinatio est iudicium, quod ex iis, quæ sensu percepta sunt,  
de iis, quæ sensu non sunt percepta, a mente fertur. Inartificialia  
principia duo sunt, perceptio sensuum & testimonium. Illa est  
conscientia ejus, quod suo quisque sensu expertus est: hoc est effa-  
rum alius cuiuspiam, quo ille, se sensu aliquid percepisse, affirmat.  
Similiter duo sunt principia artificialia, ratiocinatio & autoritas.  
Illa propria cuiusque est: hæc est ratiocinatio alterius ab altero ap-  
probata. Multa de his quatuor principiis dici possent, si ea, quæ  
jure & naturali & civili & canonico de iis præcipiuntur, atque a do-  
ctoribus horum jurium uberius explanata sunt, repetere vellemus.  
Sed propositum nobis est breviter tantum ostendere, inter hæc  
principia illud, quod primo loco nominavimus, re vera etiam om-  
nium primum esse, & ad illud cum reliqua tria principia, tum  
conclusiones omnes, quæ ad cognitionem veritatis pertinent, re-  
vocari & posse & debere.

IV.

Primum igitur principium omnium veritatis cognoscendæ in-  
complexum est *perceptio sensuum*, complexum vero hoc est: *Quidquid  
sentio, id verum est.* Veritas hujus axiomatis demonstrari per natu-  
ram suam non potest, cum ex eo aliarum omnium veritarum de-  
monstratio petenda sit: neque demonstratione ulla etiam indiget,  
cum ipse sensus quemque suus arguat, verum esse, quod sentimus,  
ob id ipsum, quia illud sentimus. Et consentaneum hoc est defini-  
tioni veritatis. Cum enim veritas sit convenientia cogitationum &  
rerum ipsarum, neutra vero sine sensibus cognosci possint, mani-  
festum est, convenientiam quoque illarum sine sensibus cognosci  
non posse. Habet etiam hoc axioma ea omnia, quæ necessaria esse  
diximus, ut primi principii loco poni queat. Nam & perspicuum  
est, & cognitionem veritatis omnem & solam continet. Quamob-  
rem J.Cti semper exultimarunt, perceptionem sensuum & primum  
& firmissimum veritatis in iudiciis forensibus cognoscendæ funda-  
mentum esse. Constat hoc ex vulgaribus regulis, collectis a STRYKIO  
de iure sensuum præm. §. 69. sq. quibus J.Cti passim utuntur. Illud de-  
num, inquirunt, certo novimus, quod sensu percipimus. Optima demonstra-  
tio est, quæ sit ad oculum. Sensuum fides omnes auctoritates everit. Quod  
patet



patet expresse, non est probare necesse. *Causa victoria cedit illi, pro quo sensuum experientia militat.* Non memini autem, axioma illud Ictorum ab ullo unquam Philosophorum primi principii loco habitum esse. Ipsi illi, qui fatentur, sensus esse primos rerum omnium nuntios atque interpretes, neque quidquam a mente cogitari posse, nisi quod sensum quendam ante tetigerit, tamen non audent affirmare, veritatem omnem ex perceptione sensuum, tanquam ex communi quodam principio, cognosci, cognitamque ad hoc iterum revocari posse. Itaque, ut sententiam Ictorum confirmemus, primum rationes inquiremus, quare alii aliter sentiant, easque confutabimus. Deinde ostendemus, axiomata, quæ alii pro primis principiis habent, minus recte ab iis eo loco poni. Quo facto, nisi novum plane principium cognoscendæ veritatis omnis allatum fuerit, axioma nostrum primus, quem ei dedimus, locus utique erit relinquendus.

V.

Præcipua causa, propter quam ii ipsi, qui, cognitionem rerum omnium a sensibus oriri, nobiscum statuunt, aliud tamen veritatis cognoscendæ primum principium quæsierunt, sine dubio hæc est, quod sensuum perceptio non semper satis certa sit, ideoque ad normam aliquam certiore exigenda videatur. Sed plerumque evenit, ut perperam sensibus tribuatur error, qui menti tribuendus erat, quando hæc in iudicio de eo, quod sensu perceptum est, ferendo se ipsa decipit: cuius generis est illud, quod in Jure canonico dicitur, sæpe in exploranda virginitate manus falli atque oculos obstetricum. *C. 4. causa 27. qu. 1. C. 14. X. de probar.* Nec tamen sequimur opinionem illorum, qui, nunquam sensus mentiri putant: quos tanquam nimis credulos recte reprehendit CICERO. *Quæst. Acad. 1. 4. c. 26.* Negari enim non potest, male affectis partibus illis corporis, quibus res objectæ sentiuntur, harum imagines plerumque minus recte ab animo concipi. Interdum etiam, licet corpus bene se habeat, tamen animi vel commotio nimia vel nimius languor sensuum officia impedit. Innumerarum rerum tanta est parvitas aut subtilitas, ut de iis aut non multum aut plane nihil percipi queat. Sæpe, si unius rei multiplex sit compositio, vel res plures divisæ eodem tempore eundem sensum



sensum subeant, fit, ut animus uni vel paucis intentus nonnulla, quæ præcipue animadverti debebant, transfiliat, vel aliud pro alio habeat. Denique aliquando ea, quæ inter nos & res nobis obversantes intercedunt, facultati sentiendi officiant: uti aër turbidus non modo visum, sed alios etiam sensus intercipit, & baculus rectus in aqua positus curvus videtur, & rerum per vitra nonnulla inspectarum forma mirifice mutatur, & solum spatium interjectum efficit, ut res aut non talis & tanta, qualis & quanta est, aut omnino non sentiatur. His concessis, nihilo minus perceptioni sensuum inter principia cognoscendi primum gradum tribuendum putamus. Sufficit enim, pleraque, saltem ea, quæ seculi nobis necessaria sunt, satis recte a nobis sentiri, neque in his, modo animo attentò simus, facile nos unquam falli, & utique non aliud esse principium cognoscendæ veritatis certius atque evidentius. Nimirum ea est conditio rerum humanarum in hac mortali vita, nihil ut omnino sit omnibus ex partibus perfectum, utque ipsa lux nostra, qua nihil clarius mentibus nostris datum est, valde tamen debilis & circumscripta sit, multumque nostris admixtum habeat.

VI.

Sunt alii, quibus axioma nostrum nimis angustum videtur: quoniam existimant, multa sine sensuum subsidio a se cognosci, & esse quasdam ideas hominibus innatas, ad quas referunt ideas Dei & spirituum creatorum, item materiæ, quantitatis, figuræ, motus, aliarumque rerum. FLENDER. *Log. Clauberg. S. 1. not. 2.* Sed verius est, exiis, quæ sentimus, nos cognoscere, esse aliquos eorum effectores spiritus, & inter hos primum rerum omnium procreatorem Deum, quos non sentimus, & quorum nullam omnino ideam mens nostra capit, nisi cœlesti lumine, quod nonnullis hominibus sanctis contigisse legimus, collustrata fuerit. Quod ad reliqua exempla attinet, palam est, ea pertinere ad universalia, quæ nihil aliud sunt, quam nomina vel alia quadam signa, quibus omnia individua, quæ sunt ejusdem generis, denotantur. Certum quidem est, menti nostræ universalia cogitanti plerumque tantummodo ideas signorum, non rerum signatarum obversari: sed



sed æque certum est, nisi individuum aliquod, quod nomine universali comprehenditur, antea sensu intellectum fuerit, nec ipsum nomen illud universale intelligi posse. Et sapissime etiam fieri solet, cum personas vel res individuas corporales cogitamus, ut itidem solas ideas nominum animo versemus, quas tamen innatas nobis esse, nemo dixerit.

VII.

Erunt denique fortassis nonnulli, quibus non satis eruditum, ideoque Philosopho non satis dignum videbitur, veritatem omnem repeti ex sensibus, quos cum infantibus usum rationis nondum habentibus & cum ipsis mutis animantibus communes habemus. Est enim hoc ingeniorum humanorum commune vitium, ut artificiosa maxime sectari, simplicia, etsi hæc sæpe longe majorem utilitatem afferant, fastidire soleamus. Sed certe laus eruditionis non est querenda in principiis. Nam omne principium naturæ suæ simplex est, omne artificium autem est accessio quædam, ideoque posterius habendum. Quamobrem primum principium cognoscendi veritatem necessario constituendum est in prima mentis facultate, qua rerum sensibus objectarum ideas concipimus. Principium autem, quod ratiocinatione nititur, non potest primum haberi: quoniam veritates, si non pleræque, certe eæ, quæ scitu sunt maxime necessariae, sine ratiocinatione cognoscuntur, & omnis ratiocinatio ab iis, quæ per sensus animis ingesta sunt, proficiscitur.

VIII.

Plerique Philosophi & antiqui & novi existimant, fontem omnis veritatis cognoscendæ contineri hoc axiomate, quod ab iis principium contradictionis & certitudinis vocari solet: *Id, quod est, non potest simul non esse id, quod est.* Et fatendum est, principium illud multo certius esse principio perceptionis sensuum. Hoc enim, uti supra jam dictum est, interdum fallit: illius autem nullam exceptionem, qua infirmetur, comminisci possumus. Creber etiam principii contradictionis in foro usus est, quando probatio suscipienda est ab eo, qui, aliquid esse vel fuisse, negat. Nam, cum ea, quæ non sunt, sensibus non possint percipi, non  
alia



alia ratio est probandi, aliquid non esse, quam ut probetur propositio ajens contraria. §. 12. 7. de inut. stipul. At vero ex hoc ipso manifestum fit, principium hoc esse cognoscendi non veritatem, sed oppositam veritati falsitatem: neque primum esse, quia, ut hæc cognoscatur, illam jam aliunde cognitam esse oportet. Vis enim axiomatis tota in eo consistit: si veritas alicujus rei perspecta sit, perspectam simul esse falsitatem contrarii. Id manifesto patet, si axioma hoc in aliquo syllogismo loco majoris propositionis ponatur, hoc modo: Nihil simul est & non est, Lucius Titius est liber homo, ergo non est servus. Nisi enim sciverimus, an verum sit, hominem illum esse liberum, multo minus poterimus scire, an falsum sit contrarium, nempe eum non liberum esse, sed servum. Cognitio autem veritatis illius non fuit ex principio contradictionis, sed ex principio perceptionis sensuum. Ergo cognitio oppositæ falsitatis quoque ex principio perceptionis sensuum fuit: quoniam sensus, qui efficit, ut affirmemus, aliquid esse, idem simul efficit, ut negemus, id non esse.

IX.

Philosophi nonnulli recentiores eum principio contradictionis conjungunt principium rationis sufficientis, cui secundum locum inter principia prima omnis cognitionis attribuunt. Enunciatum, quo utuntur, hoc est: *Nihil est sine ratione sufficiente*. Ratio sufficiens vero ab illis dicitur id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit. LEIBNIT. *Theodic. Part. 1. §. 44.* WOLF. *Ontol. §. 56.* Cum autem iidem Philosophi principium generatim dicant esse, quod in se continet rationem alterius: WOLF. *ibid. §. 366.* patet, hoc eorum principium cognoscendi, quod rationis sufficientis vocant, ita quoque enunciari posse: *Nihil est sine principio, ex quo, quantum sufficit, cognosci possit, cur aliquid sit, vel brevius, Nihil est sine principio cognoscendi.* Verum nos non querimus, an sit aliquod rerum omnium cognoscendarum principium, sed quodam sit. Ne cui igitur responsio illa ad hanc questionem obscura & perplexa & plane aliena videatur, interpretatione illam adjuvari oportet. Videlicet principia omnia, sensu philosophico, non grammatico, accepta, sunt triplicis generis: alia essendi, quæ sunt materia & forma, sine quibus nihil ne intelligi quidem,



quidem, nedum esse potest: alia fiendi, quo pertinent causa efficiens, a qua fit aliquid, quod nondum est, & finis, propter quem fit: alia cognoscendi, quæ superius descripta sunt. Sensus igitur principii rationis sufficientis hic esse videtur: nihil esse sine principiis efficiendi & fiendi, & intellectis his principiis, principiata quoque melius intelligi. Eodem sensu, magis tamen clare & distincte Scholastici dixerunt: *nihil esse sine causa, & causas sive principia efficiendi & fiendi simul esse principia cognoscendi.* Sed putaverim ego, principium illud nimis angustum esse, ideoque minus recte referrî inter prima principia. Nam quæcumque illi in syllogismo minorem propositionem subjeceris, ex conclusione apparebit, præter existentiam causæ aliqujus sufficientis, cujus vagâ tantum & generalis quædam idea in animo excitatur, non aliam veritatem specialem ex eo cognosci posse. Natura enim & qualitates causæ cujusque sufficientis ex eo non cognoscuntur, sed aliunde petendæ sunt: ideoque nec inde cognoscitur, sed aliunde exquirendum est, cur id, de quo agitur, potius fit, quam non fit. Ceterum non inficior, axioma illud recte principium aliquod dici: ita enim omne aliud etiam axioma dici potest. Fateor quoque, vix aliter, quam ex hoc principio, existentiam Dei & spirituum creatorum probari posse, quæ certe est maximi momenti conclusio: etsi, qui cognoscit existentiam Dei, is non statim ipsum etiam Deum cognoscat. Nam, ut Paulus Apostolus ait, Deus iis etiam, qui eum esse norunt, ignotus esse potest, ideoque quæri ab iis debet, ut sensuum internorum perceptione ipsum cognoscant. *Act. c. 17. v. 23. § 27.* In jurisprudentia autem hujus principii perexiguus usus est. Legum enim naturalium existentia ex ratione sufficiente, non vero existentia rationis sufficientis ex illis colligitur. Leges civiles de iis, quæ jure naturæ neque præcepta neque sunt, principium hoc non protenditur. Misera igitur plerumque sollicitudo est disquirentium, ecqua sit ratio sufficiens, cur aliquid a legislatore civili constitutum sit, non aliud, quod æque constitui poterat: etsi non negem, lege civili, posteaquam lata est, contineri rationem sufficientem eorum, quæ necessario ex ea consequuntur. Actionum humanarum, quibus leges & naturales & civiles applicantur, si præcepta illa fuerint, ratio sufficiens moralis, nam de  
causis



causis physicis non agimus, est in ipsis legibus. Actionum prohibitarum sive delictorum commissorum rationem sufficientem moralem dari non posse, manifestum est: alioquin enim delicta non essent. De actionibus adiaphoris frustra disceptatur, cur quisque eas maluerit suscipere, quam non suscipere: quoniam utrumque ei aequale licuit. Siquae vel maxime de eo disceptetur, nemo tamen unquam rationem sufficientem ex principio rationis sufficientis assequi poterit.

X.

Philosophi Cartesiani cognoscendae veritatis constituunt hoc primum principium: *Quidquid clare & distincte percipio, id verum est.* Ferri poterat hoc axioma, si verba ejus de perceptione sensuum explicari possent. Sed non ita intelligunt Cartesiani verba sua: quoniam, ideas multarum rerum sine adminiculo sensuum mentibus suis innatas esse, & tamen res has clare ac distincte a se percipi, opinantur. Nonnulli verba axiomatis ita interpretantur, ut illud clare & distincte percipi existimandum sit, quod ex principio contradictionis fluat. Verum haec interpretatio menti Cartesianorum magis etiam repugnat, quam illa. Nam hi principium contradictionis penitus rejiciunt, & recte statuunt, id non mereri nomen principii, quod in nullius rei existentis cognitionem per se nos inducat. FLENDER. *Logic. Clauberg. §. 50. lit. f.* Quare nec revocari potest principium Cartesianorum ad principium rationis sufficientis: quia ex hoc quidem cognoscimus, rem existere, existentis autem cognitionem non magis, quam ex principio contradictionis, assequimur. Dicendum igitur est, principium clarae & distinctae perceptionis valde obscurum & inconcinnum esse. Cum enim illud de perceptione sensuum intelligi non possit, sequitur, ut ad solius mentis perceptionem pertineat. Mens vero hominis saepe aliquid, quod in rerum natura non est, exempli causa vortices, quos Cartesius opinionis errore sibi finxit, clare & distincte satis percipit. Si quis autem principium illud ad perceptionem eorum, quae extra mentem vera sunt, restringere voluerit, palam est, perceptionem veri hoc modo constitui principium sui ipsius, & incipi ab eo, in quo desinendum erat.

B

XI.



XI.

Alterum principium cognoscendæ veritatis inartificiale est testimonium: quod hoc loco, uti ex definitione superius proposita patefcit, tam late intelligi volumus, ut eo omne id, quo alterius cujuscumque sensa indicantur, neque solum dicta testium ad fidem in causa aliena faciendam citatorum, sed etiam instrumenta scripta & confessiones contra ipsos consistentes fidem facturæ comprehendantur. Hæc omnia vero, ut credi iis tuto possit, a sensuum perceptione proficisci oportere, crebro Juri inculcant. Negant, fidem habendam esse testi, nisi rationem scientiæ suæ reddat, hoc est, nisi asseveret, ea, quæ sub visum cadunt, a se visa, ea, quæ auditu intelliguntur, a se audita esse. MASCARD. de probat. l. 1. quest. 5. n. 120. § 126. Illud enim demum scire testis dicitur, quod scit per sensum corporis, sine quo nihil certo intelligere potest. STRYK. de jur. sens. præm. n. 30. Quamobrem notarii quoque sibi cavere jubentur, ne quidquam tabulis suis inferant, nisi quod ipsi sensibus corporis perceperint. Notarien-Ordn. de A. 1512. §. Die Notarien sollen. Denique confessionem etiam, quam vulgo reginam omnium probationum appellant, non opinione, sed sensu consistentis niti oportet. In causis arduis vero ne tum quidem facile creditur consistenti, si vel maxime sensum suum testificerur: quoniam metuendum est, ne vel levitate animi vel desperatione vel errore quodam se ipse accusaverit. Quam ob causam judex, antequam durius aliquid discernat, facti, quod reus confitetur, veritatem, quam corpus delicti appellant, quantum fieri potest, investigare, & ipse præsens rem inspicere, vel testes, qui eam sensibus exploratam habent, diligenter examinare atque audire debet. L. 1. §. 24. ff. ad SC. Syllan. Ord. crimin. Boruss. c. 3. §. 6. 1799.

XII.

De principiis inartificialibus satis pro ratione instituti nostri diximus. Sequuntur artificialia, quorum primum est sana hominis cujusque ratio, qua ex eo, quod non est dubium, id, quod dubium erat, cognoscitur. In omni vero ratiocinatione conclusio ex duabus propositionibus præmissis inferitur, quarum altera major, altera minor



minor appellatur. Illa, ut jam diximus, principium quoddam cognoscendi veritatem est, & conclusionem in se continet, ideoque illam semper universalem esse oportet: quam ob causam dictum de omni & nullo in scholis fundamentum omnium syllogismorum dici solet. Neesse igitur est, ne conclusio sit incerta, majorem propositionem certam esse. Et maxime hæc quidem certa est, si pauca sint individua, quæ subjecto ejus continentur, sique sensu compertum habeamus, iis omnibus prædicatum ejusdem propositionis commune esse. At si hoc nobis ita compertum sit, non opus habemus rationatione. Ineptum enim foret, si quis ex eo, quod omnes Prophetæ veteris testamenti, quorum sedecim sunt, in linguam latinam conversi extent, argumentari vellet, Jeremiam quoque in eam linguam conversum esse: quoniam longe promptior est probatio propositionis singularis in conclusione positæ, quam universalis, quæ majoris locum tenet. Quocirca JCTi ajunt: *Querere rationem, ubi habemus sensum, est infirmitas intellectus. SIRTII. de jure sensuum præm. §. ult.* Itaque in syllogismis utendum est propositionibus majoribus, quas veras esse, per inductionem omnium individuorum probari non potest. Ut vero constet, quantum fidei his propositionibus habendum sit, distinguenda sunt tria quæstionum genera, quæ a Rhetoribus & JCTis status controversiarum appellantur, & ad quæ omnes illæ propositiones revocari possunt. In statu conjecturali quærimus, an id, de quo agitur, re vera extra mentem sit vel fuerit: quæ quæstio facti a JCTis dicitur. In statu definitivo consideramus, quid sit illud. In statu qualitatis judicamus, utrum aliquid regulis, quæ observandæ sunt, conveniat, an ab iis discrepet. JCTi postremum hunc statum, si quærat, sine aliquid legibus consentaneum; nec ne, juridicalem, & quæstiones non modo ad hunc statum, sed etiam ad definitivum pertinentes, si nimirum definitiones ex jurisprudentia petendæ sint, quæstiones juris vocant.

XIII.

In statu conjecturali major propositio syllogismi prædicatum habet ex ipsa essentia subjecti, quousque hæc nobis cognita est, non fluens, nititurque experientia rerum singularium. Quod enim semper in speciebus, quæ nobis obvenerunt, verum experti sumus,



idem in reliquis etiam speciebus ejusdem generis verum esse, judicamus. Et de rebus naturalibus quidem ita judicantes raro fallimur, cum natura in iis, quæ sunt ejusdem generis, eundem tenorem servare solet. At, cum prædicatum ex essentia subjecti demonstrari non possit, nunquam in his propositionibus ultra probabilitatem perveniri potest. Etsi enim innumeris exemplis comprobatum fuerit, hominibus moriendum esse, mulierem viri expertem non parere, animantes quadrupedes usu sermonis carere: tamen certe potentia Dei absoluta aliud effici posse, historia sacræ nos docent. Multo minus igitur aliquid certi confici potest ex propositionibus universalibus, quas non sine omni exceptione veras esse, etiam si potentia Dei absoluta non intercesserit, omnes consentunt: exempli causa patrem esse, quem justæ nuptiæ demonstrant, septuaginta annorum paternum. Tales propositiones, licet sæpe axiomata à Jctis vocentur, re tamen vera præsumptiones tantum sunt, tam diu pro veris habendæ, donec probetur contrarium.

XIV.

Certiora plerumque sunt principia cognoscendi, quibus in statu definitivo utimur. In eo enim statu prædicatum majoris propositionis ad essentiam subjecti pertinet, estque vel integra hujus definitio vel aliquid eorum, quæ ex definitione necessario consequuntur. Hujus generis propositio universalis sine exceptione semper vera est: & si quis eam neget, is, nisi etiam principium contradictionis negare velit, facile erroris convinci potest, modo certum sit, veram esse rei essentiam, quæ esse dicitur. Res artificiales & morales, quæ ingenio & voluntate hominum determinantur, pleræque fati certas definitiones habent. Exempli causa venditio est conventio de re certa danda pro certa summa pecuniæ: quæ definitio usu recepta & legibus civilibus confirmata est. Poterat quidem huic negotio aliud nomen imponi, vel etiam nomine venditionis comprehendi conventio, quæ præter pecuniam alia quæcunque res pro re alia dari promittitur: quo sensu vocabulum venditionis a veteribus usurpatum esse, constat. *L. 1 §. 1. ff. de emt. vend.* Postquam autem sensu nobis exploratum est, definitionem illam  
usu



usu communi & legibus scriptis esse stabilitam, tuto ex illa colligere possumus axiomata nonnulla, quæ æque certa sunt. Talia sunt: in omni venditione mutuum duorum vel plurium consensum requiri, nullam esse venditionem sine pecunia, dationem in solutum, si pecunia fuerit debita, esse venditionem, cambium, quod manuale vocant, non esse venditionem. Sed multorum tamen etiam vocabulorum ad res morales atque artificiales pertinentium incertus usus est, nec definitiones semper essentias illarum rerum clare & distincte facis exprimunt: quod exemplis definitionum contractus innominati, sacramenti, sacrilegii, raptus virginum, aliisque innumeris, quæ in ipsis legibus civilibus reperiuntur, comprobari potest. Neque tamen definitiones earum rerum a JCris, ut iis libuerit, fieri possunt, sed menti legislatoris, quam interdum nulla conjectura assequi licet, consentaneæ esse debent. Rerum naturalium omnium essentias ignoramus: & licet genus earum noverimus, differentia tamen essentialis specierum atque individuorum latet. Quarum autem rerum essentia nobis ignota sunt, ideoque definitiones legitimæ deficiunt, de iis nihil sine dissidentia neque affirmari neque negari universaliter potest: atque ex hac obscuritate non modo multæ inanes logomachia, sed etiam sæpe in ipsis rerum argumentis ancipites & periculosa lites oriuntur. Denique in statu qualitatis nulla fere est propositio universalis, quæ necessario & semper vera, neque exceptionibus quibusdam obnoxia sit: de quo, quando de principiis cognoscendi iustitiam agemus, latius differendum erit.

XV.

Patet ex his, quæ dicta sunt, rationem humanam in solo statu definitivo, neque in hoc tamen semper, sed tum duntaxat, si essentia subjecti in propositione majore positi nobis perspecta sit, ad evidentem cognitionem veritatis pervenire posse. In reliquis omnibus incerta & fallax est rationis cognitio: & sapissime id, quod non videbatur dubium, re diligentius perpenſa, falsum esse experimur. Singulare autem quidpiam & præcipuum habent disciplina mathematica. Cum enim hæ in quantitativis rebus-



rebusque artificialibus explicandis tantum versentur, penes ipsos Mathematicos earum rerum omnium essentias determinandi, nisi jam usu communi satis determinatæ essent, potestas fuit. Ex quo fit, ut definitiones ab iis propositæ nulla probatione indigeant, axiomata vero, postulata ac theoremata quibus utuntur, quippe quæ omnia ex definitionibus manant, ex his ipsis dilucide demonstrari possint, ideoque maxima ubique regnet evidentia. Statum conjecturalem, ubi quæritur, an quid re vera extramentem extet, Mathematici non considerant: sufficit illis, extrare aliquid posse. In statu qualitatis autem præcepta Mathematicorum, si ea non solis principiis domesticis, sed principiis Physicæ aliarumve disciplinarum in subsidium adhibitis nitantur, sæpe valde incerta atque interdum plane falsa esse, nemo temere dissebitur. Ex quo consequitur, causam evidentiae disciplinarum mathematicarum magis ipsi argumento, quod in iis tractatur, quam methodo, qua id tractari solet, tribuendam esse.

XVI.

Si veritatem nec sensu nostro, nec testimoniis aliorum, nec ratiocinatione nostra investigare possimus, superest principium autoritatis, secundum quod in re dubia standum est ratiocinationi aliorum, quos probabile est recte de ea re judicare posse. Sed, cum periculosum sit hoc principium, iique, qui id sequuntur, non tam cognoscant verum, quam credant, credentesque sæpe decipiantur, magnam cautionem in eo adhiberi oportet. In quæstionibus theoreticis præstat plerumque, ignorantiam suam fateri, quam aliorum opinionibus regi. In rebus agendis quoque iudicium nostrum atque ipsam actionem suspendere debemus, si nesciamus, prohibitumne aliquid, an præceptum sit, exempli causa mutatio sacrorum, item prohibitum, an permissum sit, quale est idolothytis vesci. At si dubitetur, præceptum aliquid, an adiaphorum sit, non est intermittenda actio: quemadmodum multi olim inter Christianos veteres non solum diem dominicam, sed etiam diem sabbati celebrarunt, quod inter eos non satis constaret, utrum celebratio diei septimi necessaria, an arbitrio cujusque relicta esset. Pæræpe autem fit, ut regulas  
has



has observare non liceat, sed, etiamsi res maxime incerta sit, tamen certi aliquid statui ac fieri oporteat. Tum sane modestius ac tutius est, prudentum auctoritati parere, quam cæco impetu rem totam in casum dare. Quamobrem non reprehendendi sunt JCri, qui in iure dicendo, quando animus in contrarias sententias distrahitur, præjudicia aliorum JCtorum sequuntur, vel id verum habent, quod major pars collegii decreverit, vel res ad jurisprudentiam non pertinentes opinione medicorum, chirurgorum, obstetricum, fabrorum aliorumque hominum in arte sua peritorum judicant.

XVII.

In conflictu horum primorum principiorum is ordo tenendus est, quo ea recensuimus: ut sensuum perceptio præferatur testimonio, testimonium ratiocinationi, ratiocinatio auctoritati. Sed fieri interdum solet, ut viri etiam eruditi & alioquin sapientiæ laude conspicui hunc ordinem in quibusdam quæstionibus invertant. Vetus illa querela est, a JCris majoris æstimari auctoritatem glossæ, quam argumenta exquisitissima. Paucissima tamen erunt exempla JCtorum, qui in rebus ad artem suam pertinentibus vel auctoritatem aliorum vel suas ratiocinationes testimoniis fide dignis & ipsi perceptioni sensuum anteposuerint: quod a Philosophis multis nonnullisque etiam Theologis factum esse, utinam falso jactaretur. Admonendi autem sumus, ita rationem habendam esse principiorum, quæ priori loco posita sunt, ne ea, quæ sequuntur, penitus negligamus. Saepe enim ratiocinatione & aliorum auctoritate eo perducimur, ut sensuum errorem quandam animadvertamus, & deinceps, re diligentius explorata, certissimis experimentis convicti sententiam mutemus. Exemplo esse possunt ii, qui oculis nimium credentes, magnitudinem solis pedalem esse, eumque circum terram rotari, vel vesperi in oceanum immergi, olim sibi persuaserunt, nunc autem meliora edocti aliter sentiunt: Et hæud raro in foro civili contigit, ut testes, qui aliquid sensu a se perceptum jurati asseveraverant, postea quæsiti, annon res aliter se habere potuerit, postquam rationes



rationes obstantes & testimonia diversa aliorum testium intellexerant, omnesque circumstantias denuo perpenderant, errorem suum tandem agnoverint. In tanta inscientia, quæ versatur in vita, merito laudanda est modestia veterum Romanorum, qui voluerunt, ut is, qui testimonium diceret, arbitrari se diceret, quod ipse vidisset, & quæ jurati iudices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri pronunciarent. CICERO *Quasi. Acad. l. 4. c. 47.* Quemadmodum igitur prima principia cognoscendi veritatem, quibus in jurisprudentia utimur, in aliis quoque disciplinis sequenda existimavimus: ita hanc etiam modestiam veterum Jctorum dignam putamus, quam non modo Jcti hodierni, sed etiam aliarum scientiarum doctores, deposito, quo multi eorum tument, fastu, imitentur.

F I N I S.





194  
93  

---

287  
179.10

6078









30



PERIODICA

INCIPIS

VERITATEM,

ULTI VIVUNTUR,

GANGO TRIER,

C. JVR. ORDINARIO,

ERTO PHILIPPI

NSI

M DCC XLI.

ONI EXPONENDA.

---

VIADRVM,

TZII, Acad. Reg. Typ.

